



Specvlvm Privilegiorum Regularivm In Commvni

Pedro <de los Angeles>


Coloniæ Agrippinæ, 1681

Punctum III. Qualiter per revocationem privilegia cessare poßint, & quis ea
revocare valeat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61715](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61715)

Subiis Regul. resol. 88. à Cruce de statu Relig. lib. 2. cap. 3. dub. 2. conclus. 2.

Expen- ditur quoad hoc amplissima Pontificum concessio, 25. Aliam amplissimam concessionem refert Rodriguez tom. 3. quæst. 35. citata, art. 12. quam etiam referunt, & admittunt Poriel. verb. privil. n. 4. Diana loco citato, à Cruce concl. 2. Bruno proposit. 1. Petrus ab Angelis sect. 2. num. 7. per quam concedit Benedictinis Eugenius IV. (cujus Bullam adducit Rodriguez in suo Bullar. & est nona in ordine) ut nullo modo possit contra eos præscribi: tibi inter alia, hæc dicit: *Quod si contingerit per aliquem aut plures actus contra huiusmodi, aut quacumque alia privilegia, indulta, gratis, immunitates præfata Congregationi concessæ, aut ipsorum aliquod, à quocumque, cujuscumque conditionis, gradus, seu status existat, ex negligentia, vel ignorantia præsentium, vel futurorum, quibus hæc conceduntur, aut alia quavis causa, propter quam fuerit aliter attentatum, vel pro tempore observatum, ignoranter, vel scienter procedi nullum tamen præjudicium dictis privilegiis generetur; sed suo vigore, ac robore permaneat: hæc ibi: quod est magnum privilegium, quod adhuc durat, & est Bullatum, & in eo cæteræ Religiones participant. Quod etiam Clementem VIII. Bulla incipiente: *Romanum Pontificem innovasse, & extendisse pro Carmelitæ Discalceatis, dum præminentiam, & prærogativas illorum, nullo modo decursu temporis, vel alio præscriptionis modo amitti decernit, testatur Bruno Cassiæ. Franciscanus de privilegiis tractatu 1. cap. 5. proposit. 1. vers. secunda pars, in fine.**



PUNCTUM III.

Qualiter per revocationem privilegia cessare possint, & quæ ea revocare valeat.

26. **P**Rivilegium (ut diximus cap. Præcedenti, num. 22. vel est mere gratuitum, id est ex mera Principis voluntate dependens; qui licet motus sit ex meritis privilegiati ad illud dandum; non tamen consideratur ut remuneratorium, & compensatorium illorum; sed tanquam aliquid ex benignitate, & liberalitate Principis concessum: & ideo in ejus expeditione nulla meritorum mentio fit: & hoc vel potest consistere in aliqua facultate ad agendum, vel non agendum contra legem, vel præter legem, vel in aliquo, per quod jus privilegiato circa aliquam rem acquiratur: & dicitur *jus quasi*; ut si privilegium, villam, aut castellum præbeat, cujus possessionem privilegiatus acquisivit, vel jus ad exigenda tributa, vel non solvendas decimas, &c. Vel est onerosum, aut lucrativum, quod datur ob aliquod onus exhibitum à privilegiato, & sic ibi intervenit quidam contractus onerosus: *do, ut des, facio, ut facias.* Et ideo privilegiatus ponit onus, & ob illud Princeps privilegium impendit, ut in Bulla Cruciatæ accidit, in qua ob eleemosynam exhibitam à privilegiato, conceditur illud privilegium à Pontifice. Vel est remunerativum; quod

Privilegium gratiosum onerosum, & remunerativum explicatur.

Yy 2 datur

datur in præmiura, & remuneratio-
nem obsequiorum, quæ exhibita sunt
ab alio, ad quod requiritur, quod in
ipso privilegio exprimat in specie,
quod ob tale, vel tale meritum, tale
privilegium communicatur: & non
sufficit, quod meritorum fiat genera-
lis mentio; sed debet esse specialis,
hæc vel illa recensendo: quia genera-
lis mentio meritorum, potius cen-
setur pro honore privilegiati, quam pro
veritate fieri: quapropter reputanda
est, ac si facta non fuisset. Castro
Palao tract. 3. disput. 4. punct. 21. §. 2.
num. 6. N. Pr. Petrus ab Angelis in spe-
cul. privileg. disputatione 4. sect. 1. num.
6. Pellizzar. tractatu 8. capite primo,
numero 106. Matienzo libro quinto, re-
copilat. titulo primo, leg. 5. glossa 12.
num. 2.

Privile- 27. His suppositis, asserendum
gium gra- est primo: quod privilegium mere-
tiosum gratitum, per quod dominium ali-
fine cau- quod non transfertur in privilegia-
sa potest tum; sed solum præbet facultatem ad
revocari aliquid agendum, vel non agendum
valide. contra jus, vel præter jus, potest à
Principe, seu concedente revocari,
vel ab ejus Successore, vel Superiore,
quando voluerit, & quomodo vo-
luerit valide, vel etiam sine causa; sed
absque illa illicitè. Et ratio est: quia
hæc privilegia omnino gratiosa, in
fieri, & conservari à Principis volun-
tate dependent, & sub quadam taci-
ta conditione censentur ab ipso con-
cessa; nisi revocavero, quamdiu non re-
vocavero: ergo, &c. Sed voluntatem
concedendi mutare sine causa, est in-
constantia, & levitatis indicium, &
contra naturam ipsius beneficij à

Principe concessi, quod decet esse
mansurum, regul. dicit in 6. ob id di-
cimus illicitè, sine causa illa revocare,
quod limites peccati venialis non ex-
cedit. Bassæus verb. privileg. 3. num. 2.
Tamburin. de jure Abbat. tom. 1. dispu-
tatione 16. questione 12. num. 1. Hiero-
nym. Garcia in Politic. Regul. tom. 1. tra-
ctat. 8. diff. 1. dub. 6. num. 1. N. Pr. Petrus
ab Angelis disp. 4. sect. 1. num. 2. N. Pr.
Antonius à Spiritu sancto in direct.
regul. tract. 1. disput. 1. sect. 8. num. 132.
Pellizzar. tract. 8. cap. 1. sect. 5. num. 101.
Salas de legib. disp. 17. sect. 14. n. 70. &
disp. 20. sect. 18. num. 26.

28. Sed hoc intelligendum est Privile-
nisi privilegium concessum sit non gium
subdito: nam privilegium factum non sub-
non subdito, & ab eo acceptatum, dito con-
transit in contractum, & jus quæsi- cessum
tum; & nullus Princeps potest non nequit à
subditos private jure suo; nisi tanta Principe
rerum mutatio superveniat, ut privi- revocari.
legium censetur graviter pernicio-
sum Regi, vel Regno. Ita Authores
infra citandi. Qui ex hoc principio
inferunt, quod Imperator, Rex, aut
alius Princeps sæcularis non potest
revocare privilegia Religionibus,
Ecclesijs, & Ecclesiasticis personis,
semel concessa: quia Religiosi, & Ec-
clesiasticæ personæ, illi subditæ non
sunt, cap. si diligenti, de foro competentis,
cap. An si Clerici, de judiciis, cap. 1. & se-
quent. 11. quest. 1. Privilegium autem
concessum non subditis, non potest
amplius per ipsum concedentem re-
vocari in præjudicium privilegiati,
ipso non consentiente; nisi in casu il-
lo, quod superveniat notabilis muta-
tio rerum, taliter, quod privilegium
jam

jam censeatur notabiliter perniciosum Regi, & Regno. Tambur. q. 13. num. 2. Lezana tom. 2. verb. privileg. num. 20. Suarez lib. 8. cap. 37. num. 2. Diana part. 3. tract. 1. resolut. 57. & part. 5. tract. 1. resolut. 14. Antonius à Spiritu sancto num. 134. Bassæus supra n. 2.

Privilegium rei quod si privilegium transfert dominium alicujus rei in privilegiatum, à quo acceptatum est, & jus quæsitum; ut privilegium non decimandi, exigendi aliquod tributum, vel si oppidi dominium conferat, &c. hoc nec validè nec licitè, nisi ob urgentissimam causam Boni Communis potest à Concedente, vel ejus Successore revocari: quia est quædam donatio jam acceptata, quæ ad libitum post acceptationem nequit revocari: & cum jam sit jus quæsitum illius rei à subdito, ejusque dominium possideat; nequit eo expoliari à Principe, qui non potest subditos bonis suis private. Palaus supra num. 2. Garcia num. 2. Lezana verb. privileg. num. 20. Diana duobus locis citatis. Suarez lib. 8. cap. 37. n. 7. Bonac. disp. 1. quest. 3. punct. 8. §. 2. num. 5. Basil. Pont. lib. 8. de matrim. cap. 19. §. 2. num. 11. §. Causæ autem sufficientes, ut valida, & licita sit talis privilegij revocatio, in primis sunt illæ omnes, ex quibus diximus tom. 3. tract. 14. cap. 4. part. 5. §. 4. posse donationes acceptatas à donante revocari. Deinde ob grave crimen, in pœnam delicti: denique quando hoc ad bonum publicum Reipublicæ, vel Ecclesiæ conducit, quia subditorum bona subduntur

Principis voluntati, in ordine ad bonum publicum; & sic etiam privilegia, quæ sub ea tacita conditione concessa judicantur, ut durent quoties eorum cessatio ad publicam utilitatem non pertinuerit. Suarez. num. 5. Basil. num. 13. Palaus §. 2. num. 4. Matienzo lib. 5. tituli 10. leg. 6. glos. 1. n. 11. & 12. §. Sed in eo casu non requiritur aliqua loco privilegij revocati compensatio: quia licet sit bonum quæsitum privilegiati, illud, quod revocatur privilegium; illi tamen gratis donatum fuit: nam supponimus fuisse gratiosam, non onerosam, a ut remuneratorium: ergo sicut donatio, & concessio fuit facta gratiosè, sine onere ex parte privilegiati; ita revocatio ex justa causa, potest sine onere, & compensatione ex parte revocantis fieri. Bonac. §. 3. n. 3. Basil. lib. 8. c. 9. §. 2. n. 13. Palaus n. 6. Suarez lib. 8. cap. 37. num. 9.

30. Advertendum est tertio, privilegium onerosum per modum contractus concessum, quodque conceditur ratione pretij dati, aut ratione operis injuncti, revocari non posse à concedente, vel alio, nisi ex urgentissima causa boni publici, & tunc si Princeps pretium recepit, illud reddere tenetur; & si onus injunctum recompensationem per æquivalentiam illius debet exhibere, aliàs nulla esset revocatio: quia Princeps stare tenetur contractui inito cum subdito; aliàs nullus contrahere posset cum Principe Supremo: qui licet ob publicam utilitatem posset rescindere contractum initum cum subdito; non vero illum re sua private sine debita

Privilegia onerosa, nisi ob bonum publicum, & facta compensatione nequeunt revocari.

debita compensatione. Hæc namque obligatio oritur ex iustitia, quæ etiam obligat Superiores respectu inferiorum. Pellizzar. tract. 8. cap. 1. sect. 5. n. 101. Tambur. tom. 1. disput. 16. quest. 12. num. 5. Lezana tom. 2. verb. privileg. num. 20. Basil. §. 2. num. 13. Palaus disp. 4. punct. 21. §. 2. num. 1. & 2. Bonac. sup. §. 3. num. 2. & 12. Salas disp. 17. sect. 14. n. 70. & disputat. 21. sect. 18. ad finem. Suarez libro 8. cap. 37. num. 7. Hieronym. Garcia tract. 8. disp. 1. dub. 6. n. 2. Bassæus verb. privil. 3. num. 2. Pr. Antonius à Spiritu sancto tract. 1. disputat. 1. sect. 7. num. 34. Pr. Petrus ab Angelis disputat. 4. sect. 1. num. 3. Lessius lib. 2. cap. 33. dub. 4. num. 35. & alij. §. Et hinc fit primo, non posse summum Pontificem revocare dispensationes, quas dedit contrahendi matrimonium in gradibus prohibitis, nisi ex urgenti causa, & reddendo dispensato, quod dedit. Fit secundo, privilegia per Bullam Cruciatam concessa, non revocari, neque per Bullam Cœnæ, neque per Jubilæum, quod nunc, 25. anno conceditur; licet in eo dicatur revocari omnes gratias, privilegia, & facultates, etiam Regibus ex quacumque causa concessas; quia privilegia Bullæ Cruciatæ sunt concessa per modum contractus onerosi: conceduntur enim, quia singuli illam elemosynam tribuunt: & sic, ut valide revocentur, præter urgentissimam causam, debet elemosyna reddi, alias nulla erit revocatio. Sanchez lib. 8. de matrimon. disp. 33. num. 10. Henriquez lib. 7. de Indulgentiis, cap. 21. num. 7. Rodriguez

in exposi. Bulla, §. 12. num. 13. N. Pr. Petrus ab Angelis n. 3. Salas sect. 18. in fine. Bonac. num. 13. Palaus num. 4. Basilius num. 13. quæ notanda sunt (inquit Basilius) pro Religionibus, quæ Bullas accipiunt revocatorias Bullæ Cruciatæ, de quo alibi erit sermo.

31. Et si obiter hic inquiras, an privilegia Regularium revocentur, vel suspendantur per Bullam Cruciatam ubi ista publicatur? Respondetur negativè: tum, quia cum talia privilegia sint favorabilia, non uni, aut alteri Monasterio concessa; sed toti Religioni, & ordinentur in bonum commune fidelium; non revocantur, nec suspenduntur per verba generalia, nisi de illis fiat specifica mentio (ut infra dicemus) qualis non fit in dicta Bulla. Tum etiam: quia Bulla solum revocat indulgentias, non privilegia, quæ sunt valde diversa, ut infra probavimus. Unde non obstante Bulla possunt Regulares absolvi, & dispensare, &c. in omnibus casibus sibi concessis per sua privilegia, ac si Bulla non esset. Bassæus verb. privileg. 3. num. 5. Bordon. tom. 2. resol. 52. num. 136. Lezana tom. 3. verb. Bulla Cruciat. num. 38. Lugo de pœnit. disp. 20. sect. 8. num. 145. Pellizzar. tract. 8. cap. 1. num. 120. Sanchez lib. 4. Summ. cap. 45. num. 62. Diana part. 1. tract. 11. resolut. 10. Tambur. tom. 1. disput. 16. quest. 16. Mirand. tom. 1. questione 46. artic. 11. Antonius à Spiritu S. tract. 1. disp. 1. sect. 7. num. 139. Imo neque per Jubilæum anni Sancti revocantur privilegia communia Religionum, ut tenent Authores citati; sed per Bullam

Per Bullam Cruciatam non suspenduntur privilegia Regularium.

Cœnæ

Cœna revocari modo omnia privilegia Regularium, quæ sunt contra Bullæ Cœnæ Domini, quæ singulis annis publicatur, merito docent Bordon. loco citato, num. 135. Megala part. 1. de penitentiis, lib. 1. cap. 13. num. 17. Tambur. como 2. disputat. 4. quest. 15. Diana resolut. 10. & 72. de dubiis Regularum, & alii ab ipsis citati.

Privilegia Regularium sunt remuneratoria.

32. Sed circa privilegia remuneratoria, non levis est inter Doctores controversia, an sint revocabilia modo ordinario (hoc est) absque urgenti causa boni communis, & sine debita compensatione. Et hæc difficultas præcipue exagitur propter privilegia Regularium, quæ esse remuneratoria est certissimum ut passim in Bullis Pontificum habetur, talia privilegia concedi ob extrema merita, continuos labores, quos tam in Prædicationibus, quam Confessionibus, tam respectu fidelium, quam infidelium sunt perpesi. Quod præcipue videri potest in Bulla Sixti IV. emanata septimo Kalendas Augusti anno 1489. Pro Dominicanis, & Minoritis, & in Bulla Pij V. sub dat. 27. Julij anno 1567. pro omnibus Mendicantibus, & in Bulla Urbani VIII. quæ incipit: *In Specul.* & in Bulla Pauli III. expedita pro Societate Jesu, quæ incipit, *Licet debitum*, & alia à Clemente VIII. emanata pro nobis Carmelitis Excalceatis, quæ incipit: *Cum dudum*, & ab aliis Pontificibus pro alijs Religionibus. Ex quibus liquido infertur, & constat privilegia Ordinibus concessa esse remuneratoria, pro illorum laboribus, & meri-

tis, De istis ergo, & similibus est difficultas an sint modo revocabilia.

33. Prima sententia asserit dicta privilegia non aliter esse revocabilia, nisi eo modo, quo privilegia ex pacto, & contractu oneroso: ac proinde non nisi in casibus magnæ, & publicæ utilitatis, & cum debita compensatione. Et licet hoc variis fundamentis probent ejus Sectatores, hoc est illorum præcipuum: quia privilegia remuneratoria, illa videlicet, quæ dantur in præmium, & stipendium meritorum non sunt revocabilia modo ordinario, sed solum in casu urgentis, & publicæ utilitatis, & cum debita compensatione revocari possunt, eò modò quò privilegia concessa, pro obsequiis famuli intervenientis etiam sine pacto expresso; & pro servitiis, & laboribus militis in bello libere præstantis; quorum intuitu Dominus, aut Rex illis privilegia concedit. Quæ privilegia quia remuneratoria, sunt irrevocabilia, nisi in casu dictæ necessitatis, & debita data satisfactione, ut omnes concedunt: sed privilegia Regularibus concessa, ut vidimus *num. preced.* sunt remuneratoria, & in præmium laborum, & obsequiorum concessa: ergo non aliter sunt revocabilia, quam privilegia ex pacto oneroso, vel ex contractu concessa. Ita Tambur. *disput.* 16. q. 12. n. 9. ubi absolute irrevocabilia docet esse omnia privilegia, quæ causa meritorum conceduntur. Tirraquellus *leg. si nunquam, verb. donatione largitus numer. 11. Cod. de revocand. donat.* ubi multa congerit, quibus probat, quod concessa

Irrevocabilia esse privilegia Regularium, asserit prima sententia

vel

vel data ob remunerationem, sunt irrevocabilia, uti habita titulo oneroso. Palaeus tractat. 3. disp. 4. punct. 12. §. 2. num. 4. & 5. ubi omnia privilegia remuneratoria tam ex gratia, quam ex iustitia, non aliter dicit esse revocabilia, quam illa quæ sunt habita ex contractu oneroso. Ita etiam Matienzo lib. 5. nova recop. tit. 10. leg. 6. gloss. 1. num. 18. Bassæus verb. privil. 3. num. 5. citat. Surdus consil. 419. num. 54. & 57. Bruno Cassaing. de privil. Regular. tract. 1. cap. 4. propos. 1. Hoc ipsum adductis varijs fundamentis, & Authoribus probat. N. Lezana tom. 2. verb. privileg. num. 20. qui adducens pro te Salas, Suar. Bonacin. dicit: quæ enim subditis data sunt per contractum onerosum, vel in præmium, & remunerationem meritorum irrevocabilia sunt, nisi ex gravi causa, ob bonum publicum: & tunc adhibita compensatione. Et addit statim: *Qua maxime animadvertenda sunt pro privilegijs Regularibus concessis, ea enim magna saltem ex parte, illis concessa sunt in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur pro Sanctæ Romanæ Ecclesiæ defensione, & augmento, & animarum salute, prout ipsi Summi Pontifices, qui talia privilegia concesserunt, sæpius testantur.*

Dantur privilegia remuneratoria ex iustitia, & gratia.

34. Sed pro resolutione hujus gravissimæ difficultatis, supponendum est, privilegia remuneratoria esse in duplici differentia. Alia remuneratoria ex iustitia, alia remuneratoria ex gratia. Tunc sunt remuneratoria ex iustitia, quando merita ob quæ concessa sunt dant privilegiato jus agendi, & actionem implorandi

officium iudicis, pro meritorum satisfactione; ut in exemplis pro contraria sententia adductis, cernitur, vel famuli etiam sine pacto explicito servientis, vel militis libere in bello præliantis; quibus meritorum intuitu Rex privilegia concedit. Quia cum talia privilegia sapiant meritum ex contractu implicito; dantur illis ex merito iustitiæ, licet ob servitia, quæ videbantur liberaliter præstita; Privilegia remuneratoria ex gratia, sunt quæ dantur ob obsequia, vel servitia ex alijs titulis jam debita, vel certe, ita liberaliter exhibita, ut nullum pactum, neque implicitum habeant; quia aliunde præmium, quam à Principe, præstolantur: & quamvis ex gratitudine & benignitate, illorum causa Princeps privilegia concedat; talis remuneratio est antidotalis, non ex aliquo debito iustitiæ; sed gratitudinis, benevolentia, & liberalitatis. Talia sunt fere omnia privilegia Regularium, concessa à Romanis Pontificibus in præmium laborum, quos passi sunt, & quotidie patiuntur: Cæterum talia obsequia Regularium, alias erant debita ex obligatione Regularæ, & Religiosi status. Et licet aliqua sint obsequia præstita à Religionibus, quæ limites suæ obligationis excedebant, ut patet in rebus difficilissimis ab ipsis tentatis & passatis, ut sunt labores maximi, & continua studia in Prædicationibus fidelium, & infidelium, cum maximo periculo propriæ salutis, & vitæ, quæ sunt opera supererogatoria, & sic limites suæ obligationis excedentia; nihilominus cum fiant, & debeant fieri

ex

ex amore Dei, & proximi voluntariè, & gratiosè, retributionem à solo Deo, non à Romano Pontifice expectando; & ideo non præbent jus agendi contra illum, nec ex justitia aliquid ab eo postulandi; sed solum ex gratitudine, & benevolentia: quare privilegia ob talia merita expedita, dicuntur remuneratoria ex gratia. Quibus suppositis,

Privilegia remuneratoria gratiosa possunt revocari.

35. Dicimus, quod licet privilegia remuneratoria ex justitia sint irrevocabilia, nisi ob gravem causam boni publici, & adhibita compensatione debita, quod omnes concedunt, privilegia tamen remuneratoria titulo gratitudinis, sunt revocabilia absque aliqua compensatione. Et quamvis pro illorum valida revocatione requiratur aliqua causa; non requiritur, quod sit concernens bonum publicum; sed sufficit vel nova, vel antiqua; quæ si prævideretur tempore concessionis, non concederetur privilegium, ut videlicet quia vult Princeps jus commune illibatum servare, vel in casu violationis ad illud redire, vel alia similis causa, quæ semper in Principe, præcipue in Romano Pontifice præsumitur adesse. Id in quo à prima sententia discedimus probatur primo: quia plura privilegia diversis temporibus Regularibus concessa, à Pontificibus sunt revocata sine aliqua illorum compensatione, ob causas justas ab illis judicatas, ut videre est apud Authores infra citandos: & illos errasse in re tam gravi asserere, videtur erroneum. § Secundo: quia concedens privilegium ex mera gratitudine, non


præsumitur se velle obligare ex justitia ad compensationem si revocet, nisi solum ex eadem gratia, & gratitudine, sicut ex illa dumtaxat motus est ad illud concedendum, atque ita docent Basilius de matrimon. lib. 8. cap. 19. §. 2. num. 13. Pellizzar. tract. 8. cap. 1. sect. 5. n. 102. Pr. Petrus ab Angelis disputat. 4. sect. 1. num. 5. & 7. qui citat, P. Donatum quest. 19. num. 13. Suarez lib. 8. cap. 37. num. 6. Merola tom. 3. cap. 8. num. 447. & alii ab ipsis citati.

36. Concedimus tamen primo: In dubio quod talia privilegia remuneratoria Regularium, non censentur revocata per quascumque clausulas generales: Non obstantibus quibuscumque privilegiis, &c. revocamus, derogamus, annullamus, &c. quamvis duplicentur, aut triplicentur, nisi de privilegiis Regularium expressa mentio fiat. Bassæus verb. privilegium 3. num. 5. Rodriguez tom. 1. questionum Regularium, quest. 6. art. 6. Bordon. resol. 52. num. 26. & 128. Joannes à Cruce lib. 7. cap. 3. dub. 4. conclus. 2. Azor. tom. 1. lib. 5. cap. 16. quest. 7. Hieronym. Garcia tom. 1. tract. 8. diff. 1. dub. 6. num. 6. § Secundo concedimus, quod in dubio non præsumuntur privilegia Regularium revocata, nisi de revocatione constet. Tum quia in dubio melior est conditio possidentis. Tum etiam, quia ut diximus, requiritur, quod de illis in revocatione expressa mentio fiat, & sic quod constet de revocatione illorum. Lezana tom. 2. verb. privileg. num. 20. in fine. Sanctarellus tom. 1. variarum resolutionum, quest. 16. num. 12. Bordon. resol. 52. num. 17.

Quis sit
ille Su-
perior,
qui po-
test pri-
vilegia
revocare

num. 17. Diana *part. 4. tract. 3. resol. 51.* Bruno *tract. 1. c. 6. propos. 5.*
37. Sed in fine puncti hujus ro-
gabis, quis sit ille Superior, qui potest
privilegium, gratiam, vel dispensa-
tionem concessam revocare, casu
quo revocabilia sint? § Responde-
tur juxta à nobis dicta *tom. 3. tract. 11. cap. 6. num. 97.* dum ageremus de le-
gum dispensatione, quod Superior,
qui concessit dispensationem, aut
privilegium, & validè, & licitè potest
ex justa causa illud revocare. Tum:
quia ex ejus mera voluntate depen-
det. Tum: quia sub hac tacita condi-
tione Privilegia censentur concessa;
*nisi revocavero, quandiu non revoca-
vero*: atque idem est de Successore in
sua Dignitate. Potest ergo qui con-
cessit, revocare privilegium, etiam
sine causa valide: quia ex ejus volun-
tate in fieri, & conservari dependet;
sed illicitè, quia esset quædam levitas,
& animi inconstantia, ut in conclu-
sione prima hujus puncti diceba-
mus; sed solum esset veniale, si abs-
que scandalo, aliove damno id effi-
ceret, ut *loco citato*, ex Tapia, & Bo-
nacin. probavimus. Inferior autem
dispensationem aut privilegium à
Superiore concessum nequit revocare,
quia non potest ejus actus in-
fringere: at Superior potest privile-
gium aut dispensationem expeditam
ab inferiori, in lege Superioris, etiam
contra legem ipsius inferioris revocare:
quia inferior potestas, est Superi-
ori subordinata, ut eam corrigere,
suspendere, ac revocare valeat; sed
illicite hoc fieret sine causa: quia est
contra debitum ordinem, & hono-

rem, ac decorem inferioris Prælati,
illius acta sine causa infringere, &
cum damno illorum, quibus ratio-
nabiliter erat dispensatio concessa:
& sic erit peccatum grave, vel leve
juxta gravitatem damni inde sequen-
ti, ut ibidem diximus. § At cum infe-
rior, privilegium, vel dispensationem
ex commissione Superioris concedit
contra legem, vel præter legem ip-
sius Superioris; ipse inferior potest il-
lam & licitè, & validè cum causa re-
vocare: at sine illa nec licitè, nec va-
lidè potest. Potest quidem cum illa,
quia facultati concedendi privile-
gium, vel dispensationem, annexa est
facultas revocandi: ergo sicut infe-
rior ex commissione Superioris in
ejus lege dispensans, validè, & licitè
dispensat, cum causa, & sine illa nec
licitè, nec validè; sic quando revocat
privilegium concessum, aut dispen-
sationem. Sic nos *loc. citat. num. 99.*
cum Tapia, Suarez, Bonac. Sanchez,
Salas, & Martinez, adde Basilium,
lib. 8. de matr. c. 19. n. 15. Palatum *tom. 1. tract. 3. disp. 4. punct. 2 l. 3. num. 3.*



PUNCTUM IV.

*Qualiter revocanda sunt privilegia,
ut dictum est dum sortiatur
revocatis?*

38. **D**Uplex assignatur ab Au-Revoca-
thoribus revocatio: Alia tunc ex-
expressa, illa nimirum, quæ fit verbis pressa &
expressis, revocamus, annullamus, & tacita
similibus, Quæ potest esse vel spe- explici-
cialis, cantur.